



# The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KAHAMAËNSIS** IN TANZANIA  
CONSTITUITUR NOVA

**DIOECESIS NOMINE KAHAMAËNSIS** Quoniam « opus plantationis Ecclesiae in determinato hominum coetu certam attingit metam, cum congregatio fidelium, in sociali vita iam radicata culturaeque loci aliquatenus conformata, quadam stabilitate et firmitate fruitur» (AG, 19), iure petitum est ab Apostolica hac Sede ut, certa plaga ab archidioecesi Taboraënsi detracta, nova ibi dioecesis constitueretur. Nos igitur, confisi fore ut eiusmodi res haud paulum conferat ad opus evangelizationis in illa regione expediendum, de sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide negotiis praepositorum, quam confirmamus, deque plenitudine potestatis Nostrae Apostolicae haec statuimus quae sequuntur atque iubemus. Communibus votis obsecundantes rationemque habentes suppleti consensus quorum interest, per has Litteras ab archidioecesi Taboraënsi plagam vulgo « Kahama » nuncupatam seiungimus ex eademque condimus novam dioecesim *Kahamaënsem* appellandam atque Metropolitanæ Ecclesiae Taboraënsi suffraganeam necnon iurisdictioni Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide obnoxiam, cuius episcopalem sedem in ipsa urbe « Kahama » sitam esse volumus, cuius ipsius templum ad dignitatem cathedralis templi evehimus, ita ut iuribus ac privilegiis dehinc fruatur ceterorum eiusdem ordinis templorum propriis. Per alteras autem Litteras Nostras ecclesiasticus eligetur vir, qui primus quidem erit Episcopus Ecclesiae Kahamaënsis nunc conditae. Quibus hic statutis, volumus has Apostolicas Litteras et nunc et in posterum tempus ratas esse, contrariis quibuslibet rebus haud obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die undecimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo tertio, Pontificatus Nostri sexto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI

*a publicis Ecclesiae negotiis*

SEBASTIANUS Card. BAGGIO

*S. Congr. pro Gentium Evang. Praefectus*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Laurus Governatori, *Protonot. Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXVI (1984), n. 3, pp. 255

© Copyright 1983- Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana